

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Heripolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia**

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;  
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Iohannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Heripolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi Secvndæ Partis Chronica Insignia Dvo - I. Coenobii Hirsavgiensis, Diœcesis Spirensis: eius fundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum MCCCLXX. II. Coenobii ...

**Trithemius, Johannes**

**Francofurti, 1601**

XLVIII. Theodoricvs Episcopvs Lvbecensis, Ioanni Trithemio Abbati Spanhemensi S.

**urn:nbn:de:0128-1-17336**

Trithem

Opere  
Historia

482

EPISTOLÆ FAMILIARES.

midamus. Neque autem vindicare iniuriam contendimus, sed contemnere potius, scientes quod in foueam cadent reprobi quam fecerunt. Mensem non alligauimus loco, vt viuere extra Spanheim non possimus. Nam si necesse fuerit, mundus totus patria nobis est. Vnum coelum terram operit vnam, vbi cunque fuero in terra sum huic continua, peregrinus non ad Spanheim sed ad cœlestem patriam anhelans. Deus vnis omnipotens ubique est, & nullibi deest, in quo sumus, viuimus & mouemur, vbi cunque locorum fuerimus. Facilis ergo nobis vnius iactura coenobij, si Deo placuerit, sit, in quo paupertatis & laboris plurimum, delitatum & quietis nihil vnuquam sumus experti. Sed vale & ora pro nobis, vt Dei solius compleatur voluntas. Ex Berlin 20. Octob. Anno Christi 1505.

XLVII.

IOANNES TRITHEM. IOANNI BRACHTIO, PRIORI S.  
Matthiae apud Treuiores S.

C AVSAM absentia nostra monasterio nostro Spanhemensi charitati tua antehac scripsimus ex Colonia Agrippina, moram vero in Marchia nunc literis duximus intimandam, & que ex Colonia, sed altera Spreuiana iuxta Berlin in ipsa Marchia, vt status nostri habens notitiam propter nos minime contristeret. Diuina nos miseratione protegente sani & incolumes sumus, rebusque nostris ita prouidimus, vt si oporteat viuere extra Spanheim libere possimus. Principem habemus nobis in omnibus fauorabilem, de cuius munificentia prouisi nullius indigentiam habemus. Ante Pascha non reuertemur ad Rhenum, ipsius principis voluntate ad manendum interea peruersi, vt ea qua proipius honore inchoauimus ad finem debitum perducamus. Et reuera nisi professioni nostræ sciremus esse contrarium, nostrumq; minime decere statum in curijs principum versari, nunquam hinc discederemus. Proponuntur enim nobis conditiones quam optima, si manere cum principe in toto vellemus, sed ne monastico faceremus iniuriam proposito, curias principum oportet non amare. Ita vero itinere transimus rationabiliter secato, vt nihil refutemus ex sententia nobis oblatum, donec videamus quid necessitas tandem indicat assumentum. Reuertemur itaq; Deo largienti post Pascha ad Rhenum: ad monasterium vero nunq; intrabimus, nisi amulorum nostrorum prius temeritatem cogitit humiliari. Quod si cum Cynonotis in pertinacia sua duxerint permanendum, Spanhemensi abbatia sponte dimissa, Dei ordinationem sequemur. Confidimus enim Dei omnipotentis bonitati, quoniam in finem non despiciet, quem ipse nouit amulorum inuidia laesum sine culpa. Tametsi nobis non mediocriter sit pensiculandum, ne forte summa voluntatis Dei ordinatione aliorum vocemur, tanq; arbor in utilis pro fructu ferendo vbiiore in terram transplantandi meliorem. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Semper ergo nobis timendum, & cum silentio diuinum sequendum consilium. Ipsi enim cura est de nobis qui fecit & creauit nos, cuius miseratione nobis utilior est, quam omne nostrum consilium. Pergam igitur Dei consilium libens & voluntarie fecutus, quo cunque fuerit eundum, arborq; si placeat illi eradicata inutilis, transferar viri fructus patientiae feram vberiores. Vale feliciter. Ex Berlino 20. mensis Octo. Anno 1505.

XLVIII.

THEODORICVS EPISCOPVS LVBECKENSIS, IOANNI TRITHEMIO Abbatii Spanhemensi S.

AMBULICVM ut tibi commodaremus te summi opere desiderare, pater optime, magnifici nostri Oloymi de lapide militis, tum & aurati, tum & literarum candidati narratione cognouimus. Quem, & si nostra domo charissimi honestissimique philosophi loco seruamus, tamen & vna cum Proclo, Porphyrio, Synesio, ceterisque conphilosophis suis fibi coadunatis, tibi non minus voluntarie quam hilariter transmisimus, mandantes illi, vt te nobilem hospitem nostri nomine salutatum pergeret. Credimus etenim tantos lapiditiae viros eo tibi fore gratiores, quo eorum dudum usus es familiaritate. Suscipe igitur optimae pater quam iucundissimos ex archanis philosophiae latebris te alloquentes nobiles ipsos nuncios nostros, nihil pol rigidi salebrosique, sed condimenta sapida græcorum academijs philosophicis scite festiuqe; manibus praeparata deferentes. Quorum cum ad fastigiam usus familiaritate fueris, ad nostras redeant ædes age. Vale scripturarum candens armarium, nosque te adamantem ama. Ex Lubus die Veneris 24. mensis Octobris Anno Christianorum M.D.V.

XLIX.